

sis subjectis seu individuis, quorum alterum irrogenitum sit, regenitum alterum, dicenda intelligantur. Etenim, si idem numero homo non mutatur quoad speciem, ut alius speciei substantia, quam antea fuerat, fiat, quando regeneratur; ita nec regenitus, quoad substantiam suam singularem ab irrogenito licet diversus, specie ab eodem differre dicendus erit propter regenerationem. Quibus prænotatis, thesin nostram, quam & ratio recta & S. Literæ confirmant, ponimus negativam: Differentiam, quæ inter hominem regenitum & irrogenitum sive strictè sive latiori in significatione sic dictum intercedit, nullatenus specificam esse.

§. II. Ignotum esse nemini potest, quæ inter definitum ac definitionem habitudo atque connexio sit, ita ut quoad rem plane non differant, sed hæc illius essentiam atque naturam exprimat tantum clariùs. Inde igitur est, quod à definitione ad definitum, & vice versa, affirmative pariter atque negative concludi potest. Quare & heic supponitur Regula: *Cui non competit definitio, ei nec definitum competit.* Diversitati autem illi, quæ inter hominem regenitum & irrogenitum est, specificæ differentię definitio minime convenit. Adeoque nec homo irrogenitus & regenitus specie differre ullo modo dici possunt. Differentia quippe specifica hominis est essentiæ ejus constitutiva, i. e. ita ingrediens hominem, ut eâ remota vel absente, amplius homo esse non possit: At verò sive regenitus quis fuerit sive irrogenitus utroque in statu eandem retinet essentiam humanam, nullâ ejusdem sive ex toto, sive ex parte facta mutatione. Fortassis excipi posse alicui videbitur, non de essentia hominis absoluta sermonem heic esse, sed de connotato & sub specificatione: quatenus regenitus & irrogenitus est. Jam autem mortem spiritualem, à quâ irrogenitus; & vitam spiritualem, à quâ regenitus dicitur, non privative tantum, sed etiam contrarie sibi opponi; contrarie autem sibi oppositorum specificam esse differentiam oportere, cum aliàs contraria sibi esse nequeant, proindeque hominem non regenitum seu spiritualiter mortuum à regenito sive vita spirituali prædito specie differre. Verum enim verò, ab abstracto ad concretum non ubique, præsertim quando de iis, quæ ad formalem illorum rationem pertinent, agitur, consequentia valet. Sic privatio in formali sua ratione nil nisi meram dicit entitatis